



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXXXVIII. ad annum MCCCCXL.

**Parisiis, 1644**

II. De iudiciis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15490**

ANNO CHRISTI 1440. ipsorum consortium sacramentorum & sacramentalium administrationem, vel alias ad regimen quoquo modo admittant, nisi desuper literis nostris aut vicarii nostri patentibus, aut aliis legitimis documentis fuerint certificati.

II.

Ne quisquam laicus vexetur per inanem citationem laboribus & expensis, statuimus & præcipimus omnibus iudicibus ecclesiasticis nostræ dioecesis, ne laicos quoslibet ad audiendum sui citent vel euocent, nisi causam citationis exprimant nominatim & expresse, quæ ad forum pertineat ecclesiasticum de iure vel consuetudine, nec citatum super aliis causis quam in citatorio expressis respondere compellant. Quoniam frustra forent iudiciorum strepitus & diffinitiones, si non fierent earumdem executiones. Statuimus & sub excommunicationis poena mandamus omnibus & singulis nostris subditis, quod tam nostra quam aliorum nostrorum iudicium iussa, præcepta, mandata, sententias & processus cuiuscumque continentiae aut tenoris firmiter sibi destinata deuote recipient, & fideliter exequantur, nuntios eorumdem beneuole acceptent, ad vindictam vel offensionem nullatenus prodeant, per proprium sigillum, si habuerint, in signum executionis celebratae literas ipsas una cum subscriptione muniant & consignent. Si quis autem contempitor vel neglector fuerit in aliquo præmissorum, ad præfatam poenam, & nihilo minus parti læsæ teneatur ad resarcendum expensas & damna pariter & interesse, præmissâ nostra taxatione vel iudicium eo-

Concil. Tom. 33.

S l l l ij

rumdem; a quibus prædicta emanarunt, & hoc quantum in litem fuerit iuratum.

ANNO  
CHRISTI  
1440.

## III.

Quia priuilegium fori ecclesiæ est immediate à iure diuino, quandoquidem nec consensus, nec tolerantia excusare potest, animarum periculis prouidere volentes, statuimus, & vniuersis Christi fidelibus nostræ dioecesis districte præcipiendo inhibemus, ne quemquam clericum, aut personam ecclesiasticam, capitulum aut collegium quodcumque ad iudicium forense trahant: iudicibus quoque forensibus, ne quemquam eorumdem coram se experiri cogant. Alioquin tam auctor quam iudex sententiam excommunicationis ipso facto incurvant. In qua ipsos & ipsorum plebanos, dum in scriptis legitime requisiti fuerint, similiter sub eadem excommunicationis poena volumus illico excommunicatos publice denuntiari, nunquam ad absolutionis beneficium admittendos, donec parti læsæ super iniuriis & expensis taliter irrogatis caueant vel satisfaciant competenter secundum aestimationem & declarationem legitimas, coram nobis vel iudice ecclesiæ nostræ rite faciendas. Salua nihilo minus exactione poenarum in constitutionibus aliis super hoc per sedem apostolicam & in Concilio prouinciali promulgatarum.

Inhibemus, & sub poena excommunicationis interdicimus omnibus Christi fidelibus, clericis & laicis nostræ dioecesis, vt nullus ipsorum contra dictum Salvatoris & sacros Canones sine iussu nostro aut vicarii nostri speciali, præter iudices capituli